libro Petri Simonis. [illegible] Martius 1676
[illegible] decretum archiepiscopi de Berges.

PROTESTATIO 5

ET

EXCEPTIO

ILLUSTRISSIMI, AC
REVERENDISSIMI DOMINI
ADOLPHI GODEFRIDI
VOLUSII MYSIENSIS EPISCOPI;

SIMULQUE
SACRÆ FACULTATIS
Theologicæ Moguntinæ; earumque
æquitas demonſtrata adverſus

DECRETUM
Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini
Archiëpiſcopi Mechlinienſis, datum
15. Februarii Anno 1676.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MOGUNTIÆ,
Typis LUDOVICI BOURGEAT, Academiæ
Typographi.

M. DC. LXXVI.

TENOR DECRETI.

ALPHONSUS DE BERGHES, *Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiëpiſcopus Mechlinienſis, Primas Belgii, ad exercitus Regios Delegatus Apoſtolicus, & Suæ Majeſtati à Conſilio Status,* &c. Omnibus Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis, necnon Curię noſtræ Apparitoribus, ſeu Officiariis juratis, Salutē in Domino. Cum pro parte RR. DD. Laurentii Neeſen Canonici Theologalis in noſtra Metropolitana, Gummari Huyghens S. T. Doctoris & Profeſſoris Lovanienſis, Macarii Havermans Canonici Regularis Ordinis Præmonſtra-

tenſis Sacræ Theologiæ Lectoris, & Ægidii Gabriëlis ex Tertio Ordine S. Franciſci ejuſdem Sacræ Theologiæ Lectoris in Conventu Bruxellenſi, per ſupplicem Libellum Nobis expoſitum fuerit, quod à paucis ſeptimanis per hanc Diœceſim noſtram diſtribuatur & diſtrahatur parvulus aliquis Libellus Moguntiæ, uti prætenditur, impreſſus per Ludovicum Bourgeat Academiæ Moguntinæ Typographum, habens pro titulo, *Status, Origo, & Scopus Reformationis, hoc tempore attentatæ in Belgio circa adminiſtrationem & uſum Sacramenti Pœnitentiæ, juncta piorum ſupplicatione ad CLEMENTEM X. Pontificem Maximum per Franciſcum Simonis S.T.L.* & per eumdem Libellum graviter famæ & honori exponentium detrahatur

pu-

publicè, cum ſcandalo publico: utpotè quia dictus Libellus, uti exponentes aſſerunt, iis affingat varia dogmata ſcandaloſa & hæreſim redolentia, quæ nullatenus tenuerũt, aut verbis ſcriptiſvè docuerunt, tenent aut docent: Et eapropter ab hujuſmodi calumnia dictã famam ſuam, (qua cumprimis opus habent, pro officiis & functionibus, in quibus à ſuis Superioribus ſunt conſtituti, proficuè exercendis) & Religionem, Fidem, ac doctrinam ſuam vindicare cupientes, Nobis ſupplicarint, ut, vocatis vocandis, ſe coram Tribunali noſtro, quoad ſibi per hujuſmodi Libellũ impactos errores expurgare, & Doctrinæ ſuæ puritatem demonſtrare valeant: & ne ſæpe dictus Libellus in prædictam eorum Fidem ac famam ulterius graſſetur, petierint, quatenus ipſum,

ejuſ-

ejuſque evulgationem ulteriorem prohibere vellemus & dignaremur:

Idcircò Vos,& Veſtrûm ſingulos requirimus,& committimus,ut coram Nobis, vel noſtro Officiali Metropolitico ad hoc noſtrũ Palatium Bruxellẽſe in diem aliquam juridicam per vos deſignandam, & horam decimam matutinam,ante ſi dies illa non foret juridica,ad aliam proximè ſequentem,citetis, vel aliquis Veſtrûm citet præmentionatum Franciſcum Simonis S. T. L. & Ludovicum Bourgeat aſſertum Typographum, & quoſlibet alios ſuâ intereſſe putantes, ut prædictis Supplicantibus ſe expurgare volentibus, & ad id præſentiam ſuam aſſignato die exhibituris opponant, ſi quid opponendum habeant, aliáque ac aliàs agant prout conſilii. Quod ſi autem aſſignato die non

com-

comparuerint, committimus & requirimus ut ſuprà, ut eoſdem antememoratos pro ſecundâ & tertiâ vice citetis, ut aliquis veſtrûm citet infrà duos alios terminos, quorum quilibet ſit trium Septimanarum ad effectus ut ſuprà : cum intimatione, ſive comparuerint, ſive non, quod equidem ad ulteriora procedetur, juſtitiâ mediante, non comparentium contumaciâ non obſtante. Et quid de præmiſſis feceritis, vel veſtrûm aliquis fecerit, Nobis fideliter reſcribatis. Et ſine ejus præjudicio prædicti Libelli publicationem, ulteriorem diſtractionem & evulgationem inhibemus per proviſionem, donec partibus auditis, aliud ordinaverimus ; Et quia dictus Franciſcus Simonis & Ludovicus Bourgeat, habitāt extrà limites noſtræ Diœceſis, idcircò

harum

harum executionem fieri volumus ad valvas Eccleſiæ Collegiatæ Divæ Gudulæ hujus Oppidi, & ad alias aliarum Eccleſiarum valvas. Datum in Palatio noſtro Archiëpiſcopali Bruxellę die decimâ quintâ Februarii Anno Domini 1676.

De Mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Archiëpiſcopi præfati.

Locus (†) Sigilli.

J. DE MAYERE Secret.

PROTES-

PROTESTATIO ET EXCEPTIO.

HOc Decretum poſtquam perlatum eſt Moguntiam, obſtupuerunt Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. Epiſcopus Myſienſis, & Sacra Facultas Theologica Moguntina, qui libellum *Status, Origo*, &c. ampliſſimè approbaverunt: cumque animadverterent, Decreto illo citari, non ſolùm *Franciſcum Simonis* auctorem libelli & *Ludovicum Bourgeat* Typographum, ſed & *quoſlibet alios ſuâ intereſſe putantes*, & ipſi reputarent, ſuâ maximè intereſſe, non dubitarunt illicò legitimam facere Proteſtationem, & Exceptionem adverſus De-

cretum Illuſt. ac Reverend. D. Archiëpiſcopi Mechlinienſis, declarantes ſe in Supplicatione ad Pontificem Maximum perſiſtere ob cauſas ſequentes. Primò, ob defectum juriſdictionis Illuſtriſſ. ac Reverend. D. Archiëpiſcopi Mechlin. ejuſque Officialis, in hâc circumſtantiâ perſonarum utriuſque partis. Secundò, ob præviam delationem cauſæ ad S. Sedem Apoſtolicam. Tertiò, ob ſpecialem cauſæ gravitatem neceſſariò deferendæ, & jam delatæ ad Sanctam Sedem; Denique ob alias plures cauſas in peculiari deſuper ſcripto deducendas & probandas.

Porrò legitimum inſtrumentum hujus Proteſtationis, & Exceptionis expediverunt Moguntiâ Bruxellas ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. Archiëpiſco-

co-

copum die 11. Martii 1676. atque hujus expeditionis atteſtationem acceperunt ſcriptam manu Prænobilis Domini Magiſtri Curſoſorum Moguntini,

PROTES-

PROTESTATIONIS, ET EXCEPTIONIS ÆQUITAS DEMONSTRATA.

§. 1.

Præmittuntur ſundamenta quædam certa ad demonſtrandam æquitatem Proteſtationis, & Exceptionis.

PRIMUM. Conſtat *Franciſcum Simonis* S. T. L. Auctorem libelli, cui titulus, *Status, Origo, &c.* & *Ludovicum Bourgeat*, Academiæ Moguntinæ Typographum citari juſſos, habitare extra Diœceſim Mechlinienſem. Hoc

certum eſt ex ipſo Decreto Illuſt. ac Reverendiſſ. D. Archiëpiſcopi, in quo ſic legitur: *Et quia dictus Franciſcus Simonis, & Ludovicus Bourgeat habitant extra limites noſtræ Diœceſis.*

SECUNDUM. Conſtat, alios non paucos, qui citari jubentur dicto Decreto, habitare extra Diœceſim Mechlinienſem. Jubentur enim citari *quilibet alii ſuâ intereſſe putantes.*

Atqui non eſt dubium, quin putent ſuâ intereſſe, primò Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. D. *A. G. Voluſius Epiſcopus Myſienſis*, qui libellum amplè approbavit. Secundò Sacra Facultas Theologica Moguntina univerſa, quæ & ipſa libellum ampliſſimè approbavit. Tertiò imprimis Sacræ Facultatis Theologicæ Moguntinæ Decanus Conradus Breunig, qui nomine Sacræ Facultatis approbationi ſubſcripſit. Quartò ipſe Eminentiſſimus D. *Archiëpiſcopus*, ac Elector Moguntinus, cui certè parùm honorifica eſſet ſententia Illuſt. ac Reverend. D. *Archiëpiſcopi* Mechlinienſis contra libellum approbatum à ſupremo Cenſore Archiëpiſcopali Eminentiſſimi Domini, ſimulque ab Eximiâ Facultate Theologicâ celeberrimæ ſuæ Academiæ. Denique S. T. Doctores Colonienſes *Iacobus Emans*, *Ioannes Nederwitz*, & *Ioannes Loventhal*, qui & ipſi libellum approbarunt. Hos

omnes

omnes conſtat habitare extra Diœceſim Mechlinienſem.

Tertium. Conſtat R. D. *Gummarum Huyghens* non eſſe ſubditum juriſdictioni Illuſt. ac Reverend. *D. Archiepiſcopi*: eſt enim membrum Academiæ Lovanienſis, quæ eſt omninò exempta, ut conſtat ex Bullâ *Martini V.* in quâ ex Faſtis ipſis Academiæ Lovanienſis ſic lego: *Omnium & ſingulorum, cauſarum, & negotiorum cognitio, atque deciſio Doctorum, Magiſtrorum, Scholarium, Membrorum, atque Servitorum eorundem, ſive clerici, ſive laici fuerint, & etiam de quibuſcumque criminibus & exceſſibus correctio, & punitio, ac omnimoda ſuper illis juriſdictio ad Rectorem ſtudii in eodem oppido .... pertinere omnimodo dignoſcantur.* Denique ſi quis dubitet de iſtâ exemptione Academiæ Lovanienſis, conſulere poteſt ipſum D. *Gummarum*, qui eam propugnare etiam juramento obſtringitur.

Quartum. Conſtat R. D. *Macarium Havermans* non eſſe ſubditum Illuſt. ac Reverend. *D. Archiepiſcopo*: eſt enim Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus Regularis; quem Ordinem conſtat eſſe omninò exemptum. Si quis dubitet, conſulat ipſum *D. Macarium.*

Quintum. Conſtat R. D. *Ægidium Gabrielis* non eſſe ſubditum juriſdictioni Illuſt. ac Reverend. *D. Archiepiſcopi*; eſt enim Religioſus Tertii Ordinis *S. Franciſci de pœni-*

tentiâ, vulgò *Beggardorum*, quos conſtat eſſe omninò exemptos; de quo ſi quis dubitet, conſulat ipſum *D. Ægidium.*

SEXTUM. Conſtat, quod libellus *Status, Origo, &c.* ſit merus recurſus ad Sanctam Sedem, in causâ propriè Pontificiâ; & quidem unâ ex gravioribus, de quibus cap. *Majores* de Baptiſmo.

Quia totus libellus eſt informatio *Summi Pontificis*, & Supplicatio ad eundem in causâ doctrinali concernente materiam Fidei, ritum Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutum à Chriſto, & ſalutem animarum, quæ cauſa jam pridem per totum Belgium, & vicinas Provincias graves excitavit commotiones, & excitare pergit; quod eſt notorium. Conſtat denique libellum ipſum debito modo miſſum eſſe ad Sanctam Sedem.

Dices. Auctor libelli malè informat S. Sedem: quia dogmata *Scandaloſa, & hæreſim redolentia* concipit ſuis verbis, & affingit Laurentio Neeſen, Gummaro Huyghens, Macario Havermans, & Ægidio Gabrielis. Hos deinceps appellabo *Quatuor Viros.*

Reſpondeo. Auctor libelli verbis ſuis ſubjungit verba *Quatuor Virorum* idem ſignificantia, ut ipſe judicat.

Si dixeris ipſum errare in hoc judicio, dico de hoc debere judicare S. Sedem, & hanc eſſe unam ex causis gravioribus neceſſario reſe-

referendis ad S. Sedem: quod ſic oſtendo.

Fatentur *Quatuor Viri*, ut conſtat ex Decreto Illuſt. ac Reverend. D. *Archiëpiſcopi*, dogmata, ut concepta ſunt in libello, eſſe *ſcandaloſa, & hæreſim redolentia.*

Atqui notorium eſt, quod per totum Belgium, & tractum Rhenanum pars multò major virorum Doctrinâ Theologicâ excellentium judicet, dogmata illa bene eſſe concepta, & conformiter ad verba *Quatuor Virorum.*

Notorium eſt item, quod libri *Quatuor Virorum* in his provinciis magnam excitarint commotionem, & excitare pergant, ob ſuſpicionem, vel opinionem illorum dogmatum.

Ex his concluditur, quod judicium, an *Quatuor Viri* docuerunt illa dogmata, verſetur in causâ unâ ex gravioribus, ad *Summum Pontificem* neceſſariò referendis: eſt enim reverà judicium, an *Quatuor Viri* docuerint *dogmata ſcandaloſa, & hæreſim redolentia.* Sive an doctrina contenta, & expreſſa in libris *Quatuor Virorum* ſit *ſcandaloſa & hæreſim redolens*, ob quorum librorum doctrinam gravis exorta eſt commotio per magnam partem Eccleſiæ.

Septimum. Conſtat per decretum Illuſt. & Reverend. D. *Archiëpiſcopi* proceſſum eſſe ad ſententiam proviſionalem inhibito-

riam ulterioris diſtractionis libelli *Status, Origo, &c.* ex merâ aſſertione *Quatuor Virorum* dicentium, per eundem libellum graviter famæ, & honori ſuo detrahi publicè cum ſcandalo publico, atque ex petitione ipſorum rógantium, ut libelli evulgatío ulterior prohiberetur.

Hoc verò certum eſt ex ipſo Decreto, ſi attendas ad univerſum ejus motivum, quod continetur his verbis: *Cum pro parte RR. DD. Laurentii Neeſen. &c. Nobis expoſitum fuerit, &c. quòd per eundem libellum graviter famæ, & honori exponentium detrahatur publicè, & cum ſcandalo publico: utpote quia dictus libellus*, UTI EXPONENTES ASSERUNT, *iis affingat varia dogmata ſcandaloſa, &c.* ET PETIERINT, *quatenus ipſum, ejuſq, evulgationem ulteriorem prohibere vellemus & dignaremur:* IDCIRCO *vos & veſtrûm ſingulos requirimus & committimus, &c. & ſine ejus præjudicio prædicti libelli publicationem, ulteriorem diſtractionem, & evulgationem inhibemus, &c.*

Ecce tota ratio movens ad proviſionem hæc eſt; *Exponentes aſſerunt: Exponentes petierunt.* His ſubditur ipſa proviſio, ſic incipiendo; *Idcircò, &c.*

His jactis fundamentis progredior ad demonſtrandam æquitatem Proteſtationis, & Exceptionis.

§. 2. De-

§. 2.

Demonſtratur æquitas Proteſtationis, & Exceptionis.

PRIMÒ. Quia neque illi, qui citari jubentur coram Illuſt. ac Reverend. D. *Archiëpiſcopo*, aut ejus Officiali, neque illi, qui ſe expurgare volunt, & quibus ſeſe expurgantibus citati deberent opponere; ſi quid opponendum habeant, ſunt Subditi Illuſt. ac Reverend. D. *Archiëpiſcopo*.

Jubentur enim citari *Franciſcus Simonis, Ludovicus Bourgeat, & quilibet alii ſua intereſſe putantes*. Hi verò non ſunt ſubditi, ut demonſtratum eſt fundamento 1. & 2.

Rurſus verò tres omninò ex *Quatuor Viris*, quibus ſeſe expurgantibus jubentur opponere citati, ſi quid opponendum habeant, non ſunt ſubditi Illuſt. ac Reverend D. *Archiëpiſcopo*. Ut patet ex fundamento 3. 4. 5.

Atqui per ſe patet, æquiſſimè recuſari judicem à citatis, ſi neque citati ſint ſubditi Judici, neque ſubditi ſint iis, quibus opponere jubentur citati.

Neque dicas, illos *tres viros* voluntariè ſe ſubmittere. Illa enim ſubmiſſio fieri non poteſt ſine conſenſu partis utriuſque, quod eſt

certum

certum apud omnes, & tractatur in *l.* 18. *ff. de Iuriſdict. l. pen. Cod. de peccatis.*

Dices ſaltem *Laurentius Neeſen* eſt ſubditus Illuſt. ac Rev. *D. Archiepiſcopo.*

Nihil hoc refert. Intereà enim citari jubentur externi, ut opponantur non ſubditis, & quidem tribus. Hoc eſt iniquum, & cauſa ſufficiens recuſationis. Neque lex ulla, aut Canon remedium præſcribens adverſus diffamantes, afferetur, unde juſtificari poſſit vel in ſpeciem hujuſmodi citatio.

SECUNDÒ. Quia Illuſt. ac Rev. *D. Archiëpiſcopus* molitur ad ſe trahere cauſam Pontificiam, & jam re ipsâ delatam ad *Summum Pontificem.*

Quia cauſam eſſe Pontificiam, & re ipsâ delatam ad *Summum Pontificem* conſtat ex fundamento 6.

Porrò nihil uſitatius eſt in utroque jure, quàm quod in materiâ juris recurratur ad *Imperatorem*, & *Summum Pontificem*. Teſtantur id omnes pænè leges Codicis, & Libri quinque Decretalium *Gregorii IX.* qui ferè ſunt Reſponſa Pontificum ſuper Juriſconſultationibus delatis non tantùm ab Epiſcopis, ſed etiam à privatis.

Cauſam autem præſentem verſari in materiâ Juris, patet; quia eſt cauſa doctrinalis concernens materiam fidei, ritum Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutum à Chriſto, atque

inde pendentem ſalutem animarum, ut dictum eſt ad fundamentum 6.

Dices Illuſt. ac Reverend. *D. Archiepiſcopus* ſolùm ad ſe trahit cauſam civilem, in quâ diſceptatur, an illis *Quatuor Viris* facta ſit injuria, affingendo ipſis dogmata *ſcandaloſa*, *& hæreſim redolentia*. Quod confirmatur ex eo:

Quia citari jubet citandos ſub disjunctione, vel coram ſe, vel coram ſuo Officiali Metropolitico, ad quem non poteſt ſpectare judicium in causâ fidei.

R. Impoſſibile eſt decidi cauſam illam civilem, niſi decidatur cauſa doctrinalis concernens materiam fidei; quod ſic oſtenditur.

Quia duobus modis poſſet *Quatuor Viris* facta eſſe injuria. Primò, quod verba, quæ ex ipſorum libris ait ſe referre *Franciſcus Simonis*, non haberentur in ipſorum libris. Secundò, quod verba illa, ut contenta in ipſorum libris, non habeant ſenſum illorum dogmatum, quæ *Quatuor Viri* aiunt eſſe *ſcandaloſa*, *& hæreſim redolentia*. Primum verſatur in quæſtione facti: Secundum in quæſtione juris.

Primum cauſari non poſſunt *Quatuor Viri* ſine palpabili cavillatione, aut malignatione.

Negabitne *Laurentius Neeſen*, ſe habere hæc Tract. 6. q. 2. dub. 3. *Patet neminem*

ex ſolo pœnæ timore peccatum aliquod ſic poſſe effugere, ut non incidat in aliud? Negabitne ſe habere hæc; *Dices. Si dolor ortus ex timore gehennæ habeat conjunctam voluntatem peccandi, monendi erunt homines, ne ex hoc motivo peccata ſua deteſtentur: malè quoque facient Concionatores hac proponentes. Reſpondeo concedendo totum, intelligendo, videlicet, ut ante, ex dolore orto ex ſolo metu?*

Negabit ne *Gummarus Huyghens* ſe habere hæc Method. p. 67. *Confeſſiones, & Communiones, quæ durante conſuetudine recidendi peractæ fuerunt, plerumque tamquam ſacrilegia confiteri oportet?* Dicetne ſibi affiƈta verba, cùm dixit *Franciſcus Simonis* ipſum docere in Apologia §. 10. p. 69. differendam abſolutionem pœnitenti; ut *vitia contrariis virtutum actibus interea expellat, ac pravis ſuis inclinationibus medeatur*, &c? Negabitne hæc eſſe ſua verba Method. p. 200. *Conſectaneum hinc videtur, quod ille, qui vel ſemel peccavit mortaliter peccato ſaltem externo, & graviori, non poterit abſolvi primâ vice, quâ Confeſſarium abſolvendus accedit, &c. Reſponſi loco ſit, quod pœnitens, priuſquam Confeſſarium petiturus abſolutionem accedat, poteſt ſuâ ſponte egiſſe ea omnia, quæ Confeſſarius abſolutionem dilaturus præmittenda abſolutioni judicaret; ac proinde eo eventu abſolutio huic pœnitenti ne primâ quidem vice differenda fuerit.* Addiditne aliquid huic

reſ-

reſponſioni, quod *Franciſcus Simonis* negavit; niſi quod monendum ſæpè in Concionibus eſſe populum dixerit, ut ad Confeſſionem ſe præpararet variis pœnitentiæ operibus?

Negabitne *Macarius Havermans*, hæc eſſe ſua Tract. 2. c. 6. §. 3. num. 64. *Cum quadam ex propoſitionibus ibidem proſcriptis in rigore ſint vera, & ut aiunt Pontifices in illâ Bullâ* (Pii V. & Gregorii XIII. contra art. Baian.) *nonnulla aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab authoribus intento?*

Dicetne *Ægidus Gabriëlis*, afficta ſibi eſſe verba, cum dixit *Franciſcus Simonis* illum docere Mor. Chriſt. part. 2. §. 70. nullam eſſe veram virtutem, niſi *operantem propter ſolum Deum ex puro Dei amore, qui eſt amor Caritatis attollens hominem ſupra ſeipſum, & ſoli Deo uniens, id eſt unum ſpiritum cum Deo faciens?* Negabitne hæc eſſe ſua verba ibid. §. 38. *Niſi enim per opera pœnitentiæ Sacerdoti conſtet de interiori Contritione pœnitentis, quam in ipſo operatur Deus, & per quam externis operibus indicat, eum ſe recipere in gratiam, non erit vera abſolutio Sacerdotis?*

Omitto cætera; quia non eſt credibile, quod *Quatuor Viri* queſti ſint de primo, ſeu verba non ſua ſibi eſſe afficta: de quo eſt quæſtio facti. Queſti ſunt igitur de ſecundo, ſeu

verba illa, ut contenta in ſuis libris, non habere ſenſum dogmatum, quæ vocant *ſcandaloſa, & hæreſim redolentia*, quem ſenſum illis tribuit *Franciſcus Simonis.*

Hanc verò quæſtionem dico non poſſe decidi, niſi decidatur cauſa doctrinalis concernens materiam fidei.

Quia non poteſt judicari, verba illa *Quatuor Virorum*, quæ allegat *Franciſcus Simonis*, continere, vel non continere ſenſum dogmatum *ſcandaloſorum*, *& hæreſim redolentium*; niſi judicetur, an doctrina *Quatuor Virorum* ſit, vel non ſit *ſcandaloſa, & hæreſim redolens*; quod eſt manifeſtum. Hanc autem eſſe deciſionem cauſæ doctrinalis concernentis materiam fidei, eſt non minus manifeſtum. Fortaſſe tamen aliquid damnabilis argutationis hic invenirent, qui ſunt contumaces contra Bullam Alexandri VII. quæ incipit *Ad Sacram.* quod ego à *Quatuor Viris* non expecto.

TERTIÒ. Quia Illuſt. ac Reverend. D. *Archiepiſcopus* molitur ad ſe trahere cauſam unam ex gravioribus, & neceſſariò deferendam ad *Summum Pontificem* ex cap. *Majores* de Baptiſmo, jamque reipsâ eò delatam.

Hæc ratio intelligitur ex jam dictis, & ex fundamento 6. cauſa enim præſens concernit materiam fidei, ritum divinum Sacramenti Pœnitentiæ, & ſalutem animarum, eademque gravem excitavit commotionem per mag-

magnam partem Eccleſiæ.

Non immeritò ſimiles cauſæ deferendæ ſunt ad *Summum Pontificem*. Quoniam enim verba *Quatuor Virorum*, quæ allegavit *Franciſcus Simonis*, gravem excitarunt commotionem per magnam partem Eccleſiæ ob ſuſpicionem, vel opinionem illorum dogmatum, quæ *Quatuor Viri* fatentur eſſe *ſcandaloſa, & hæreſim redolentia*, demus, quod Illuſt. ac Reverend. *D. Archiëpiſcopus* decreto aliquo declaret, verba, & libros *Quatuor Virorum* eſſe immunes ab illis dogmatibus *ſcandaloſis, & hæreſim redolentibus*; ſed continere ſanam doctrinam; adeòque injuriam illis eſſe factam à *Franciſco Simonis*: certè æquè facile poterit contingere, ut aliquis alius Epiſcopus, ſeu Archiëpiſcopus, ipſe E. C. Eminentiſſimus *Archiëpiſcopus, & Elector* Moguntinus, vel Colonienſis, aliquo ſuo decreto declaret, verba, & libros *Quatuor Virorum* continere illa dogmata *ſcandaloſa, & hæreſim redolentia*; adeòque non eſſe illis factam injuriam à *Franciſco Simonis*. Et ſic facilè poſſet contingere, ut prodirent decreta Archiëpiſcopalia pugnantia in materiâ concernente fidem, neque enim Illuſt. ac Reverend. *D. Archiëpiſcopus* Mechlinienſis aut Eminentiſſ. *D. Archiëpiſcopus & Elector* Moguntinus, aut Colonienſis, ſunt infallibiles in ſuis decretis. Et conſtat, plurimos viros doctos per Belgiū,

& Tractum Rhenanum, judicare *Franciſcum Simonis* nihil affinxiſſe *Quatuor Viris*, etſi fortaſſe quidam contrarium judicent.

Demus autem iſtud contingere. Ecce quàm fœda turbatio in Eccleſiâ. Ibi nova lis orietur, quod decretum ſit majoris auctoritatis, Mechlinienſe, an Moguntinum, aut Colonienſe. Ex his apparet multò conſultius eſſe, ut Præſules inferiores *Romano Pontifice*, non ſibi ſumant deciſionem talis cauſæ, ipſamque eſſe unam ex gravioribus neceſſariò deferendis ad S. Sedem juxta dictum cap. *Majores.*

QUARTÒ. Quia (quod ſalvo honore & reſpectu erga tantum Præſulem dictum ſit) Illuſt. ad Rev. D. *Archiëpiſcopus* in cauſâ hâc ſuſpectum ſe fecit præcipitantiæ, diſtractionem ſæpè dicti libelli inhibendo per proviſionem ad ſolam aſſertionem, & petitionem *Quatuor Virorum*, ut patet ex fundamento 7.

Debuiſſe enim iſti proviſioni præmitti cognitionem, omninò habetur ex *l. 5. Cod. Comminat. epiſt.* &c. *l. 2. ibid.* 9. §. 2. *ff. de offic. proconſ. & aliis multis.*

Atque hæc procedunt univerſaliter de quolibet arreſto, & executione: *Gaill de arreſt. cap. 11. num.* 30. *Ad validitatem arreſtorum duo requiruntur: primò, quod facta ſint ob juſtam cauſam. Secundò, quod de illâ cognitum ſit.*

Re-

Rebuff. *ad l. 9. ff. de offic. proconſ. Iudex non poteſt procedere ad aliquam executionem ſine cauſa cognitione.*

Et quamquam in caſu neceſſitatis, v. g. cùm debitor parat fugam damno irreparabili creditoris, unà cum citatione procedatur ad executionem, ſeu arreſtum, præcedere tamen etiam tunc oportet aliqualem cauſæ cognitionem: quâ de re *in cap. 16. de Iure ſiſtendi* ita ſcribit *Peckius* poſt alios: *Inter poſtulandum aliqualem fidem facere oportet Iudici de debito, vel per oſtenſionem inſtrumenti obligationis, ut cenſuit Barbatius conſil. 9. lib. 2. vel per teſtes, ſi forte Syngrapha ad manum non adſit, vel denique aliquâ aliâ legitimâ probatione, per quam Iudex aliquo modo credere poteſt, verum eſſe, quod aſſeritur.* Chriſtineus *Deciſ. Belgic. vol. 1. Deciſ. 258. n. 8. Cùm Iudex non debeat facilem præbere aurem creditoribus petentibus incarcerationem debitoris, ipſius erit arbitrari, an ſuſpicio de fuga ſufficienter probata ſit, præſertim, anne judici debitè fidem fecerit.* Hæc Juriſconſultis ſunt notiſſima.

Non debuiſſet ergo ſufficere Illuſt. ac Rev. D. *Archiëpiſcopo* ad inhibendam diſtractionem libelli per proviſionem, quod *Quatuor Viri* aſſererent, ſibi per illum *affingi dogmata ſcandaloſa, & hæreſim redolentia*, & peterent prohiberi ulteriorem evulgationem libelli; ſed illius criminis probatio aliqualis præmittenda erat;

erat; quod non fuit factum, ut conſtat ex fundamento 7.

QUINTÒ. Quia (ſalvo rurſus honore, & reſpectu ut ſupra) Illuſt. ac Rever. *D. Archiëpiſcopus* decreto ſuo ſuſpectum ſe fecit animi non ſatis indifferentis ad utramque partem.

Quippe decreto ſuo notabiliter gravavit unam partem præ alterâ; per proviſionem ſcilicet inhibendo diſtractionem libelli *Franciſci Simonis*, nihil verò ſtatuendo contra libros *Quatuor Virorum*, quorum diſtractio per proviſionem inhiberi poterat ad minimum æquè magno jure, quod ſic oſtenditur.

Quia Illuſt. ac Rever. *D. Archiëpiſcopus*, poſtquam aſſeruiſſent *Quatuor Viri* ſibi affingi *dogmata ſcandaloſa, & hæreſim redolentia*, pro ſingulari ſuâ prudentiâ ſuſpendit judicium de hoc puncto, needum auditis probationibus pro, & contra. Interim ſtante hoc dubio, quia periculum erat, ne ulterior diſtractio graviter noceret famæ *Quatuor Virorum*, diſtractionem libelli inhibuit per proviſionem, *ſine ejus præjudicio*, ut loquitur decretum.

Atqui ſimiliter ſtante hoc dubio, an dogmata illa *Quatuor Viris* affingerentur per injuriam, an meritò tribuerentur, periculum erat, ne diſtractio librorum, quos illi ediderunt, graviter noceret, non jam famæ

quatuor

quatuor hominum, ſed ſaluti animarum per totum Belgium, & alias Provincias: ſunt enim dogmata *ſcandaloſa, & hæreſim redolentia*, ut Illuſt. ac Rever. D. *Archiepiſcopo* expoſuerunt ipſi *Quatuor Viri*; & quidem in materiâ Sacramenti Pœnitentiæ tam utilis, & neceſſarii ad ſalutem. Ergo majori jure per proviſionem inhibenda erat diſtractio illorum librorum.

Dices. *Quatuor Viri* Illuſt. ac Rever. D. *Archiepiſcopo* aſſeruerunt, libellum *Status, Origo*, &c. famæ ſuæ nocere, petierunt illius diſtractionem prohiberi. Pars contraria nihil aſſeruit, de libris *Quatuor Virorum*, nihil petiit.

Reſpondeo. Nuda aſſertio, & petitio *Quatuor Virorum* non debebat movere Illuſt. ac Rever. D. *Archiepiſcopum*, ut mox oſtendetur. Quia tamen aſſertio illa fecit, ut Illuſt. ac Rever. D. *Archiepiſcopus* adhuc dubitans, incognitâ causâ, periculum apprehenderet, ne *Quatuor Viris* noceret diſtractio libelli: debuiſſet eadem aſſertio facere, ut in illâ dubitatione periculum apprehenderet, ne libri *Quatuor Virorum* graviter nocerent ſaluti animarum; &c. ſi illud videbatur ſatis ad prohibendam diſtractionem libelli, debebat & hoc videri ſatis ad prohibendam diſtractionem librorum.

Accedit, quod liber *Ægidii Gabrielis* ſit evi-

denter injurioſus, non jam quatuor hominibus, ſed Scholis univerſis in Eccleſiâ æſtimatiſſimis, quarum opiniones non paucas, eaſque receptiſſimas refert ad *Moralem Diabolicam*,

Imò injurioſus eſt idem liber *Alexandro VII. Pontifici Romano*, qui die 5. Maii 1667. Decretum edidit, quo vetuit ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ alicujus Theologicæ Cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxare communem doctrinam de attritione ex metu gehennæ conceptâ. Hoc decreto non obſtante *Ægidius Gabriëlis* Moral. Chriſt. p. 2. §. 10. doctrinam illam de Attritione, non dubitavit vocare *pernicioſam, & maximè Diabolicam.*

An, & quas Cenſuras vel injurias contineant reliqui libri *Quatuor Virorum*, examinandum relinquo Theologis. Ego ſatis Theologiæ habebam, ut intelligerem librum *Ægidii Gabriëlis* eſſe injurioſum in plurimos Theologos, ipſumque *Pontificem Romanum.*

Hic obiter mirari lubet, quid moverit *Ægidium Gabriëlis*, ſimulque *Gummarum Huyghens*, ad expoſtulandum de *Franciſco Simonis* potiſſimum. Quid dogmatum *ſcandaloſorum, & hæreſim redolentium* hic tribuit ipſis, quod non ante ipſis tribuerat inſignis ille Theologiæ Profeſſor, ex cujus Dictatis Scholaſticis excerpta nuper prodiit *Praxis Solida*

Remit-

Remittendi & Retinendi peccata? non ſolùm illis tribuit Auctor Praxeos eadem ferè omnia; ſed & plura tribuit, & diſputatione ſolidiſſimâ enervat, frangit, conterit. Subſequitur *Franciſcus Simonis*, vix quidquam ſciens Diſputationis Theologicę, ſed humiles preces repræſentans S. Sedi, ut doceatur, an liceat tenere iſta dogmata: & ecce *Quatuor Viri*, omiſsâ *Praxi Solidâ*, ejuſque Auctore, Theologo acuto, & Diſputatore acerrimo, convertunt ſe in *Franciſcum Simonis* Licentiatum minimè malum, &, ac ſi ipſi junctis viribus parùm graves eſſent, etiam auctoritate Archiëpiſcopali tentant abuti, ut incumbant graviùs, & miſerum opprimant. Hoccine eſt generoſum, aut æquum? ſed hæc pertranſennam.

Ex dictis puto liquere Illuſt. ac Rever. D. Archiëpiſcopum notabiliter gravaſſe unam partem præ altera. Hanc verò eſſe ſufficientem cauſam recuſandi Judicem rectè tradit Maranta *de ordine judiciorum p.* 6. clauſulâ. *Et quandoque appellatur. n.* 43. citans primarios Juriſconſultos, *Abbatem* & *Philippum Francum*.

Sextò. Quia notorium eſt, quod Illuſt. ac Rever. D. *Archiepiſcopus* in negotiis Epiſcopalibus ſoleat uti conſilio illorum Virorum, qui favent parti, & doctrinæ *Quatuor Virorum*. Quin imò cōſtat famâ publicâ, quod multùm

utatur conſilio *Laurentii Neeſen*, & *Ægidii Gabriëlis*. De *Gummaro Huyghens* idem creditur. Laudanda eſt prudentia Illuſt. ac Reverend. D. *Archiëpiſcopi* utentis conſiliis Theologorum in ſua gubernatione: ſed & prudenter *Franciſcus Simonis*, & cæteri habentes intereſſe, recuſant Judicem aſſuetum uti conſiliis talium Theologorum.

SEPTIMÒ. Quia Illuſt. ac Rever. D. *Archiëpiſcopus* in ſuo Decreto nimis brevem terminum præſcripſit ad comparendum, intra tres ſcilicet ſeptimanas à citatione.

Plerique omnes, quorum intereſt, & qui citari jubentur, habitant Moguntiæ, ut patet ex fundamento 1. & 2. conſideretur itaque tempus, quo eſt opus, ut ſe parent ad opponendum *Quatuor Viris* ſeſe expurgaturis, qui præſumuntur eſſe docti Theologi; ubi præcipuè laborandum erit *Ludovico Bourgeat* Typographo, qui veroſimiliter non eſt magnus Theologus. Poſteà conſideretur tempus, quo indigent, ut ordinent ſua negotia, & familiam, prout par eſt cogitantibus iter, & longam à domo abſentiam; deinde tempus, quo indigent, ut parent neceſſaria ad iter; ſalvum cōductum, non unum, ſed plures pro viis tam periculoſis, tempore tam multiplicis belli, &c. denique tempus, quo indigent ad conficiendum iter Moguntiâ Bruxellas. Certè apparet latiorem

rem terminum debuiſſe præſcribi.

Porrò recuſari poſſe Judicem, & appellari ab eodem, qui nimis brevem terminum præſcribit ad comparendum, docet in terminis Gonzales *ad Reg*. 8. *Cancell. gl*. 9. *in annot. contra nullitates n*. 193. Salgado *de protect. reg. p*. 2. *c*. 1. *n*. 19. ubi plures in hanc rem citat Deciſiones.

Octavò. Quia cum Illuſt. ac Reverend. *D. Archiëpiſcopus* committat citationem ſub disjunctione *Coram ſe vel ſuo Officiali*, cauſæ omnes allegatæ, & aliȩ allegandæ, ubi opus fuerit, ob quas meritò recuſatur Judex Illuſt. ac Reverend. *D. Archiëpiſcopus*, vim quoque obtinent, ad recuſandum ejus Officialem. Eſt enim apud Doctores recepta regula hæc; *Quando Iudex eſt ſuſpectus, etiam eſt ſuſpectus ejus Vicarius, etiamſi nulla alia ſit cauſa contra ipſum*. Ita Maranta *de ordine judiciorum p*. 6. clauſulâ *& quādoq; appellatur n*. 48. ſic & judicatum refert Marta *tom*. 1. *Digeſtorum nouiſſimorum*, verbo *recuſatio. cap*. 4.

Ex his, & aliis cauſis, ubi opus erit, plenius explicandis, Citati declarant cum omni reſpectu, & honore erga Sacram Perſonam, ſe habere ſuſpectum Illuſt. ac Reverend. D. Archiëpiſcopum in causâ præſenti, ſicut & ejus Vicarium, ſeu Officialem: adeòque recuſant, & quatenus opus, appellant, ſeu in Supplicatione ad *Sanctiſſimum Dominum* perſiſtunt.

Ulterius verò ab Illuſt. ac Rever. *D. Archiëpiſcopo* petunt, quatenùs caſſare dignetur, vel potius caſſum declaret Decretum ſuum, per proviſionem inhibens diſtractionem libelli *Status, Origo, &c.* in caſu verò negationis proteſtantur de injuriâ.

Denique humiliter òrant Illuſt. ac Rever. *D. Archiëpiſcopum*, ut pro ſingulari ſuâ prudentiâ in negotio tanti momenti, in causâ concernente materiam fidei, & ſalutem animarum, in causâ unâ ex gravioribus, & denique neceſſariò referendâ, etiam relatâ ad Sedem Apoſtolicam: in causâ tangente honorẽ, & famam, non ſolùm Franciſci Simonis, & Ludovici Bourgeat, ſed omnium, quorum intereſt; hoc eſt Illuſtriſſ. ac Reverendiſſ. *D. Epiſcopi* Myſienſis: in cauſa Sacræ Facultatis Theologicæ Moguntinæ, quæ fama probitatis, & ſanæ doctrinæ procul dubio nihil cedit Mechlinienſis Diœceſis Theologis, & Doctoribus: in causâ tot S. Theologiȩ Doctorum Moguntinorum, & Colonienſium, ipſiuſque Eminentiſſimi *D. Archiëpiſcopi, & Electoris* Moguntini, antequam ulterius procedat etiam, atque etiam videat, quam indifferentes ad utramque partem viros adhibeat in conſilium.

Quæ omnia ſi fallerent eos, quorum intereſt, neque ægrè feret, neque mirabitur Illuſt. ac Reverendiſſ. *D. Archiëpiſcopus*, ſi

jure

jure ſuo utuntur viri tam multi, tam ſpectabiles dignitate, probitate, & doctrinâ, mediisque divino, & humano jure permiſſis reſarcire conentur læſam ſibi famam, quam cenſent cum honore Eccleſiæ, & Fidei Catholicæ eſſe conjunctam in præſenti causâ, hanc perſuaſionem depoſituri ad nutum ſolius Sanctæ Sedis.

Res eſt periculoſa Antiſtitibus, unius ſenſus hominibus affixum eſſe. Reputare debent etiam alibi eſſe Theologiam, & Juriſprudentiam. Vidimus optimos Præſules in Eccleſia Dei, non ſatis hoc attendentes, didiciſſe tandem, verum eſſe factum in ſuis Conſiliariis, quod eſt in pſalmo, *Cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.*

Alia omnia promittunt nota providentia, & circumſpectio; virtus, & probitas; ac denique innata nobilitas *Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi.*

Ita ſentio ſalvo melius ſentientis judicio

Locus † Sigilli.

I. BARTHOLOMÆVS, Apoſtolicus Iurium, Doctor & Conſiſtorii Moguntini, uti & Vicariatus Aſſeſſor.

CENSURA ORDINARII.

CUm antehac liber inſcriptus: *Status, Origo, & Scopus Reformationis hoc tempore attentatæ in Belgio circa adminiſtrationem, & uſum* SACRAMENTI POENITENTIÆ, *junctâ piorum ſupplicatione ad* CLEMENTEM DECIMUM *Pontificem Maximum per* FRANCISCUM SIMONIS *S. Theol. L.* Nobis ſeu Ordinario, & Supremo per Archidiœceſin Moguntinam Cenſori ab ipſo authore fuerit ſubjectus eum in finem, ut per eam liberè, & licitè divulgari poſſet: non tantùm in propriâ personâ ſingulari cum attentione illum perlegimus, ſed

etiam

etiam almæ hujus Academiæ Sacræ Facultatis Theologicę Decano, & Profeſſoribus diſcutiendum, & examinandum commiſimus, quem cum unanimiter teſtarentur nihil ab Orthodoxâ Catholicâ Apoſtolicâ Romanâ Fide diſſonum continere; in meo judicio, quod idem planè erat, fui tantò magis confirmatus ad illum approbandum; errores autem in eo dexterrimè revictos ſupprimēdum. Quod verò nonnulli hoc nomine authorem apud Reverendiſſimum ac Illuſtriſſimum D. D. Archiëpiſcopum Mechlinienſem detulerint, quaſi falsò ipſis erroneas illas ſententias affricuerit; tantò minus moramur, & miramur, quia in eorum ſcriptis hujuſcemodi propoſitiones ipſi hiſce noſtris oculis uſurpavimus, quodq́ue ſciamus inſuper

Omni

Omni Factioni molienti novitates cōgenitum eſſe, ut ſuos errores verborum involucris tegere conentur: Authorem contra, virum eminētis ſcientiæ, & integerrimæ conſcientiæ, non dubitamus, omnia coram Supremo Judice Pontifice Maximo, ad quem ultima, & ſuprema hujus libelli Διάκρισις ſpectat, abunde præſtiturum. Id quod ex Proteſtatione, & Exceptione, earumque æquitate demonſtrata adverſus ſupramemorati D. D. Archipræſulis Decretum nobis, ſeu ex ungue leonem, dignoſcere licet. Unde quoque hanc ipſam proteſtationem in Theſi, & hypotheſi à veri tramite in nullo deflectere, ac proinde hìc loci quoque imprimi & publicari poſſe cenſemus, contra prohibitiones autem qualcumque

Apo-